

unū sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unū sint; nec & hinc essentialis Unio asseritur, cum scriptura diserte affirmet, Unitatem fidelium, etiam, quæ post hanc vitam contingit, non æquale esse unitatē i divinarum personarū, sed huic similem. 1. *Joban.* 3, 2. *Unio s. Cor.* 6, est Unitas, nata & ex unitate insitionis in Christum, *Job.* 15, 1. 2. 3. & ex consensu voluntatis, *Act.* 4, 32. & ex ejusdem Spiritus participatione, *Eph.* 4. v. 4. *Cor.* 12, 13. 3. Sensus Petri est, non effici nos cōsortes divinæ naturæ, participatione essentialis justitiae Dei, sed partim adoptione, *Job.* 1. v. 12. partim vitae, pacis & gaudii in Spiritu S. donatione, *Rom.* 14, 17. *Hebr.* 6, 4. 5. renovatione naturæ corruptæ, *Eph.* 4. v. 13, 24. perfecta post hanc vitam imaginis divinæ restauratione, 1. *Cor.* 15, 54. 1. *Job.* 3, 2. 4. *Ephes.* 5. vera expositio est: nos esse carnē ē earne Christi, non tam ob humanæ Naturæ unitatem, piis & impiis cum Christo communem, quam ob arctam illam Christi & fidelium conjunctionem, quæ tanta est, ut fideles non tam in seipsis, quam in Christo vivant, *Galat.* 2, 20. adeo, ut Christi justitia, crux, passio, dicantur esse fidelium Justitia, Crux, Passio, 2. *Cor.* 5, 21. *Esa.* 53, 4. *Gal.* 2, 19. & vice versa, *Zach.* 2, 6. *Mattb.* 25, 40. *Act.* 9, 4. 5. *Col.* 1, 24. *Gal.* 6, 1.

## IN LOCO

## DE ANTICHRISTO OCCIDENTALI.

## THEOREMATA.

1. **D**AN. 12, 9. legitur, quod oracula fuerint clausa, usque ad ultima tempora, & innuitur, omnium optime posse judicare temporibus ultimis viventes. Cum vero jam sint tempora Antichristi senescentis, oraculum est apertum, & latum est, & ferri potest manifestum de illo nunc judicium.

2. Nos ut id breviter & methodice proponamus, præmissa homonymia, enumerabimus ἀρσενικῶν opinionum de Antichristo, subjungentes γένος.

3. Vocabulum *Antichristi*, vel denotat aliquem, qui Christo adversatur, sive in moribus fiat, & vi externa, sive falsa doctrina; vel significat quendam insignem & magnum, qui præ cæteris omnibus Christum in membris suis maxime sit persecuturus, vastatus horribiliter regnum ejus, & gentes lingvasque saltem non omnes, hypocrisi ac mendaciis seducturus.

4. Ad